



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris.
Theologia Universa**

Archdekin, Richard

Dilingae, 1687

Cap. VI. De Regvlaribvs, Resolutiones singulares.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38477

viarum. Intelligit *publicarum*, & grassationem sepius iteratam, nam qui semel iterumque depradatus est, latro publicus non censetur, uti ab una alterave vice meretrix non dicitur publica.

Septimo, Agrorum depopulatores. Intelligenda est illa depopulatio tam de diurna, quam de nocturna: quamvis enim in jure communi excepta fuisset *nocturna*, Bulla tamen Gregorii illam limitationem non apponit, nec se refert ad jus commune, sed potius illud corrigit, ut notat hic *Palaeus*, ac *Diana*. Et licet Incendiarii sint populatoribus similes, non sunt per hunc locum ab Immunitate illa exclusi, uti cum variis docet idem *Castro Palaeus* hic *Punct. 10. num. 9.*

In dubiis, an in casu particulari Reus gaudeat Immunitate, ad Episcopum pertinet decidere, aut ad Vicarium Capituli Sede vacante. Neque dum causa discutitur debet Reus in Ecclesia compedibus ligari, cum *Cap. definit. 17. Quast. 4.* caveatur, ne Reus aliqua vis, aut nocibilitas, damnumve inferatur quin per 30. passus ab Ecclesia possint exire. Possit tamen a ministris Laicis adhiberi vigilias circa Ecclesiam ne Reus elabatur, docet hic *Castro-palaeus, punct. 11. num. 6.*

In delictis supra exceptis, in quibus Reus non gaudet Immunitate, non potest ille extrahi ab Ecclesia per Judicem Laicum, sed debet accedere licentia Episcopi, non tantum post praedictam Constitutionem Gregorii, sed etiam antea ex jure Canonico in *cap. frater*, & in *Cap. definit. 17. Quast. 4.* quamvis Episcopus in delictis istis, satis compertis, non possit extrahendi licentiam denegare.

Rursum quoad Episcopum, & judicem Ecclesiasticum, non potest reus in Ecclesiam confugiens ab illo Curiae Laicali concedi, nisi per probationes in sua Curia evidenter constet, reum immunitate illa non gaudere. Dum reus in Ecclesia remanet, si aliunde vivere non possit, debet ab Episcopo sive judice Ecclesiastico sustentari. Ita Doctores apud *Farinacium Cap. 19. n. 296.* & *Dianam Part. 6. Tract. 1. Resol. 33.*

Quaeres 1. An Ecclesiae suae Immunitate gaudeant ipsi Clerici, sic ut ab Episcopo inde extrahi inviti non possint?

Resp. Affirmative, quamvis id neget *Abbas in Cap. inter alia de immunit. num. 13.* Sed contrarium pro Clericis declaravit sacra Congregatio die 23. Januarii 1617. & die 17. Augusti 1618. apud *Dianam*, exceptis casibus degradatione dignis. Additque idem, Sacerdotem delicti Reum, si coram & stola indutus, etiam extra Ecclesiam, praecedente Cruce v. g. funus comitetur, vel etiam sacrum Vjaticum, aut extremam Unctionem ad infirmum deferat, non posse a satellitibus capi: & si sic caperetur, non debere Episcopo interroganti de delicto respondere, sed posse capturae suae nullitatem opponere.

Quaeres 2. Quid in hoc dicendum de Regularibus? *Resp.* Si delicta commissa sint extra Ecclesiam, & conventum, illos gaudere Immunitate, a paritate resolutionis pro Clericis allatae. Hinc Religiosus Apostata in Ecclesia & domo Religionis diversae ab eam qua apostatavit, potest Immunitatem sortiri. Nec defunt, qui putant idem dicendum de Ecclesiis, & Monasteriis in quibus Religiosus deliquit, eo quod hic casus in sacris Canonibus non excipiat. Sed rectius cum aliis *Diana*, haec opinio, inquit, licet in rigore juris probabilis, habet contra se contrarium praxim a summis Pontificibus appro-

batam: Et si admitenda esset, punitio & disciplina regularis corrueret.

NOTA.

Habent insuper Clerici Privilegium Fori, & Canonis, quod scilicet non possint capi, aut puniri nisi a Judice Ecclesiastico: & quod non subsint legibus Civilibus saltem quoad vim coactivam, sed tantum directivam. De his, & de *Functionibus* diversis quae Clericis prohibentur: & de *irregularitatibus* singulis quas Clerici incurrun, agitur infra in *Sacramento Ordinis Tract. 4. Cap. 7. §. 2. & 3.*

De Spectantibus ad *Simoniam* in officiis, & beneficiis Ecclesiasticis, infra *Tract. 5. Cap. 12.*

De *Sacrificio Missae* ejusque celebratione, pretio, stipendio, &c. infra *Tract. 4. cap. 4. §. 5. 6.*

De *Officio Canonico*, ejusque modo, ac obligatione varia, *Ibidem Cap. 4. in fine.*

De ceteris Sacerdotis *Functionibus*, earumque *Praxi* omnimoda, in administrando, & assistendo, cum aegris, & moribundis, cum *Materia*, & *Methodo* copiosa tradendi *Doctrinam sacram*, &c. in hoc Opere suis locis & titulis, & infra in *Tom. III.* specialiter traduntur.

CAPUT VI.

DE REGULARIBUS
RESOLUTIONES SINGULARES
AD PRAXIM MAXIME
PERTINENTES.

Materia haec quam suscepi admodum ampla est. De ea scriperunt integri Tomis *Suarez* de Religione, *Castro-palaeus*, *Pellizarius*, *Peyrinus*, *Portel*, *Ardriquez*, *Bordonus*, aliique. Nos hic quaestiones selectiores atque utiliores fusius, alias brevius complectemur, quod Lector ut arbitror non parum sibi commodum atque utile experietur.

ARTICULUS I.

De Novitiatu Regularium.

QUAESTIO est, primo: Quid requiratur ut novitatus sit legitimus?

Resp. Requiritur. Ut exercentur illi in aetate legitima. 2. In loco ad illum debito. 3. In Habitu religionis. 4. Cum debita certi temporis continuatione.

II. *Aetas* autem requisita est, ut habeat quatuordecim annos expletos: in foemina sufficiunt anni duodecim: & hi anni in utrisque debent esse completi de momento in momentum, ut jura loquuntur: nec malitia, sive maturitas rationis, supplet aetatem. Patent haec ea *Clement. ult. de Regularibus*, cum *Glossa V.* aetate. Et ita docet *Sanchez Lib. 5. in Decal. Cap. 4. n. 22.* cum *Paludano*, *Sylvestro*, *Tabiena*, *Angelo*, *Azor*, *Lopes*, aliisque. Licitum tamen est ante illam aetatem recipere ad probationem vitae Religiosae, sed non potest dici inchoare Novitatum nisi expletis praedictis annis pubertatis, uti pluribus ostendit *Sanchez* supra citatus.

Et quidem in Soc. Jesu quandoquidem ad Novitatum nemo admitti possit qui sit minor 15. aut major 30. annis, & in hoc, solus *Generalis* dispensat.

ex ipsius Provincialis Regula 36. admittit aliter facta erit irrita ex defectu potestatis in admittente. Docet tamen Sanchez supra num. 26. Si Provincialis aliquem minorem aut majorem aetate praedicta admittere sub spe ratihibitionis sui Generalis, legitimum admitti Novitiatum incipere posse a tempore ratihibitionis, dummodò ante vota religiosa tempus praescriptum expleatur. Quae conformia sunt Congregationis Generalis VIII. Canonis 9.

III. De **LOCO DEBITO**, Dicendum, Novitiatum posse reddi irritum ex eo praesertim quod extra Monasterium peragatur: nisi id fiat cum legitima Superioris regularis licentia: Tunc enim censetur esse sub obedientia sui Praelati: uti ostendit Azor P. I. l. 12. c. 2. q. 8. & c. 3. q. 7. Rodriguez Tom. 3. q. 15. art. 10. Emanuel Sa V. religio, num. 9. Castropalaus Tract. 16. d. 1. p. 12. alique.

Posse autem aliquam partem Novitiatu peragi extra Monasterium, etiam post Decretum Clementis VIII. quo statuitur Novitiatum faciendum esse in aliquo ex Conventibus designatis, docet Bordonus *De Profess. 6. 4. q. 14.* & probat etiam ex eo quod Novitii Conventi de facto exerceantur: in Quaestiuando in praedictis extra civitatem, quod supponit illos per plures dies illic commorari.

IV. De **HABITU RELIGIONIS**, quaeritur, an ad essentiam Novitiatu pertineat ut peragatur in Habitu Religionis susceptae, sic ut in habitu seculari non peragatur.

Resp. Affirmativè regulariter loquendo, nempe, nisi aliter constituat in Ordinis peculiari Regula à Pontifice, vel usu approbata. Et hoc modo in Novitiatu Soc. Jesu, quae nullum particularem habitum profertur, nulla requiritur mutatio aut susceptio habitus, sed sufficit ut ille qui potestatem habet admittendi, signo externo sufficienter declaret voluntatem admittendi hic & nunc hanc personam ad solitam probationem: ac simili modo consensum & acceptationem suam declarante illo qui admittitur. Ita cum communi Pellizarius, & Peyrinus de R.P. q. 3. c. 1. §. 4. Num. 103.

V. De **DURATIONE**, quaeritur, An sit de essentia ut duret per annum integrum non interpolatum.

Resp. Affirmativè Regulariter. Et quidem quod debeat durare per annum integrum probatur ex *Tridentino Sess. 25. Cap. 15. de Regul.* id expressè statuente. Quod verò debeat esse annus continuus probat Sanchez supra Num. 31. ex Canonistis docentibus, quando in aliquo Decreto requiritur aliquod tempus, illud debere esse continuum. Et quia tempus continuum videtur necessarium ut Novitius experiatur Ordinis austeritates & difficultates, quas vix potest satis expectari per tempora interrupta, uti multo difficilius est jejunare per plures dies continuos, quam per dies interpolatos.

Dixi, *regulariter*, quia ex Privilegio Bullato Julii II. concessio Minoribus, in casu quo aliquis annum probationis inceptum interrumpat Religionem & habitum deserendo, si postea ad eam redeat, potest tempus prioris receptionis habitus cum tempore posteriori computare juxta Superiorum determinationem: neque fuisse huic Privilegio per *Tridentinum Sess. 25. Cap. 15. de Regul.* derogatum, ostendit Rodriguez Tom. 3. q. 15. art. 5. qui & refert multos viros Doctos

huic sententiae subscripsisse. Quamvis Sanchez & alii relati à *Diana Part. 3. Tr. 2.* oppositum doceant, quorum sententiae praxis Societatis conformari solet. De hoc etiam pluribus agit Bordonus *Cap. 4. de Profess. Quest. 13.*

Docent etiam Auctores apud supra citatos communius sequentia.

Valere Novitiatum factum in continua corporis infirmitate, tum quia per illam patienter toleratam illius natura & virtus satis explorari potest, tum quia ipse vicissim Religionis charitatem & instituta etiam in eo statu potest satis perspecta habere, uti docet hic Suarez, Navarrus, Miranda, Sanchez, Rodriguez, Contra Bordonum, de eo qui in ordine Minorum toto tempore Novitiatu carnibus vesci deberet.

Non item valere Novitiatum factum in amentia superveniente tempore non brevi. Nec factum ab ingrediente siclo animo, etsi postea fictionem deponat, ut docet Suarez & Sanchez de matrim. Disputat. 37. Num. 56. quamvis disertè notent, doctrinam oppositam esse omninò probabilem, & magis praxi accommodatam, cum Novitiatu opere magis quam intentione perficiatur: idemque tradit Bordonus *hic Quest. 16.*

Novitiatum tenere, etsi factum cum impedimento occulto, si hoc desinat ante professionem, sicut docet expressè Portel *de dubiis Regularium verbo Novitius, Num. 52.* de eo qui admittus fuit ab aliquo non habente admittendi potestatem: quamvis aliter sentiat Sanchez, Navarrus, Rodriguez.

Dimissum è Societate Jesu post vota biennii, si iterum recipiatur, de rigore juris non debere semper repetere Novitiatum, quamvis contrarium in praxi soleat observari, docet cum pluribus Pellizarius in *Mannali Regul. Tract. 2. Cap. 1. Quest. 12.* Et univèrsim, si quis injustè ejectus fuerit, non debere Novitiatum denuò inchoare tradit Bordonus *hic Quest. 12.*

VI. **IMPEDIMENTA** substantialia admissionis in Societatem quinque enumerantur in *Cap. 2. examinis generalis; & in Parte 1. Constit. Cap. 3.* Primum, Recessisse à gremio matris Ecclesiae fidem abnegando, vel in errores contra illam sic incidendo, ut damnatus quis fuerit ob aliquam propositionem haereticam, vel ut suspectus de haeresi per sententiam publicam declaratus, vel si infamis ob excommunicationem tamquam schismaticus extiterit: 2. Si homicidium aliquo tempore perpetraverit, vel propter enormia peccata publicè infamis fuerit. 3. Si habitum sumpserit alicujus Religionis Fratrum vel Clericorum vitam aliquando cum illis agendo, sive emissà sive non emissà promissione: aut etiam cum vestibus monachalibus Eremita fuerit. 4. Si adstrictus sit vinculo matrimonii consummati, vel legitime servitutis. 5. Si patiat infirmitatem unde iudicium obscurari, vel parum sanum reddi soleat, aut si ad hujusmodi infirmitatem habendam dispositio notabilis appareat.

Horum singula admissionem in Societate reddunt invalidam, sic ut etiam vota, aut professio subsequens pro nulla haberi debeat: de quibus in particulari tractat Castropalaus *Parte 3. de virtute Religionis Diss. 1. Pnn. 8. §. 1.*

Ubi & agit idem, de impedimentis secundariis, quae quamvis à Societate non omnino excludant, reddunt tamen personam minus idoneam, & admissionem lege ordinatâ difficilem.

VII. Quoad *POTESTATEM ADMITTENDI*, Prælatorum Regularium est admittere ad Religionem. Et in quibusdam Ordinibus, etiam Superiorum localium, de consilio tamen & consensu sui Capituli. Varia sunt de hoc jura particularia, & Bulla Sixti V. quæ & moderamen apponit prioris Bullæ ab eodem editæ, uti videre est apud Auctores prædictos. In terminis etiam Bullæ Sixtinæ, necessarium non est ut in admissione omnes Deputati concordent.

Juxta Decretum ejusdem Sixti V. certæ Informationes admissioni Novitiorum præmitti debent. Non tamen in casu quo admittendus sit notoriè dignus: nec si admittendus sit in partibus longinquis: & quid de hoc concessum sit Societati, deducit cum aliis Pellizarius supra Tract. 2. Cap. 3.

Admissionis capax est Conjug innocens quando constat de alterius conjugis adulterio: uti & sponsi de futuro: sed non regulariter qui sub ea spe puellam defloravit.

Non recipiuntur Episcopi sine Pontificis licentia. Uti & habens Votum Religionis illicitè acceptat Episcopatum, saltem sine Pontificis dispensatione.

Capax est admissionis habens Votum intrandi Ordinem alium etiam strictiorem: idque ex Prælati dispensatione vi Privilegiorum concessa, uti fufius supra citati, tam de his, quam de Decretis Clementis VIII. *Super receptione & educatione Novitiarum*, qui monent, videndum esse, an, & quo modo, aut qua parte in unoquoque Ordine illa admiffa fuerint, & in præfenti usu recepta, de quo etiam *Sala, Valeria, & Reginaldus* apud *Baldellum* Lib. 5. *Disp.* 18. *Num.* 25.

Subiunt Novitii jurisdictioni Ordinis in quo probantur, quamdiu in Novitiatu permanent. Non potest tamen illis præcipi in virtute obedientiæ. Nec subsunt penis latis contra Religiosos, nisi & ipsi in specie exprimantur.

Valide confitentur Sacerdoti ab Ordinario approbato: sed non semper cuiusque Sacerdoti Ordinis sic approbato. Sufficit ad eorum Confessiones audiendas approbatio sive deputatio Prælati regularis.

An Novitii subjaceant *reservacioni* casuum & censurarum quæ facta est à Prælati Regularibus pro Religiosis Ordinis in quo probantur, variant sententiæ. Negant *Portel, Miranda, Azor, Vega, Naldus, Sa, Homobonus, Ledesma*, & alii cum *Diana* Part. 3. Tract. 2. Resol. 4. Affirmat Corduba, *Rodriguez, Layman, Lezana*, & alii apud *Dianam* supra. Et hanc sententiam in Societate sustinendam esse ex variis Decretis ostendit Pellizarius hic Tract. 2. Cap. 6. q. 12. qui & notat, non solere à Prælati pro solis Novitiis casus reservari.

VIII. *PRIVILEGIA* quibus gaudent Novitii sunt varia. 1. Gaudent illis Privilegiis quibus fruitur Ordo in quo probantur. Quia in favorabilibus veniunt nomine Religiosi, ex *Cap. Religioso §. quamvis de Sent. Excom. in 6.* Et cum suo modo sustineant Religionis onera, æquum est ut participent Privilegia, juxta Regulam juris 55. in 6. uti docet *Suarez* Tom. 4. de Rel. Tract. 10. Lib. 9. Cap. 1. *Molina, Azor, Diana*, & apud ipsum plures cum communi DD. quamvis id neget *Rodriguez & Portel, Verbo, Novitius*, nisi id in ipsa concessione Privilegii exprimatur.

Possunt etiam Novitii frui *Indulgentiis* quæ concessæ sunt aut conceduntur professis istius Ordinis. Quia, juxta dicta, Novitii in favorabilibus veniunt nomine Religiosorum. Ita *Portel* alios citans. In prima etiam habitus receptione obtinent indulgentiam plenariam Paulo V. concessam, de qua infra.

Gaudent etiam Privilegio Fori, sic ut non possunt pro delicto conveniri coram Judice seculari, præsertim si ante ingressum non cæperit cognoscere de delicto ab eo in seculo commissio. Ita *Navarrus, Molina, Azor, Sanchez, Lezana, Suarez*, ex *Constit. Sixti V. ad Romanam* apud *Pellizarium*, aliosque.

Sunt exempti ab *Ordinariorum* jurisdictione. Sunt immunes à *Gabellis*. Gaudent Privilegio *Canonis*, sicut ille qui percutit Novitium insidente Diabolo, ut supra loquuntur, incurrit excommunicationem *Canonis* aequè ac si percuteret Religiosum professum. Si hæc illegitimi sustinent aliqui cum *Rodriguez* illos fieri habiles ad Ordines sacros. Sed ex adverso docet *Sanchez & Castropalans*, per solam professionem Religionis cessare irregularitatem cui illegitimi subjiciuntur: Horum rationes elidere conatur *Pellizarius* Tract. 2. Cap. 7. *Quest.* 7.

Novitii possunt retinere Beneficium Ecclesiasticum seculare antea acquisitum pro toto tempore Novitiatus. Constat ex *Cap. Beneficium, de Regul. in 6.* Et tenentur interea exhibere obsequia requisita quæ per se possunt, uti est recitatio officii Canonici, & per alia ea quæ per se præstare nequeunt. Si autem beneficium annexum sit jus eligendi, ad suffragium præbendam vocari debent, possuntque suum suffragium alteri committere, de quo *Peyrinus, Pellizarius, aliique*.

Obligatio ad solvendum *Debita* non tollitur per ingressum Tyrocinii: nisi tam re, quam spe sint impotentes solvendi si in seculo longo tempore non permaneant. Ita *Azor, Lopes, Lessius, Sanchez, Diana*, qui & addit, si Novitio ingresso non solutus debitis relinquitur aliqua hereditas, legatum, aut donatio, monasterium illa percipiendi teneri ejus debita ex his perfolvere.

Non obligantur ad *Vota* facta ante tyrocinium ingressum, utpote pro illo tempore suspensa, etiam si Ordine obsequis non repugnent. Neque tamen ad sacros Ordines admitti titulo paupertatis, uti possunt Religiosi.

Possunt exponi ad concionandum, etiam nondum ordinati; etiam illi qui nondum habent primam tonsuram, si ad hoc reperiantur idonei. Nam jura tantum simpliciter Laico actum concionandi prohibent. Colligitur hoc tam aliunde, quam ex *Indulto Pauli III. pro Societate* apud *Pellizarium* Tract. 2. Cap. 7. *Quest.* 25. qui notat, hoc non obstante, in Societate curari ut sit expositi primæ tonsuræ initientur.

Professus transiens ad alium Ordinem, nequit eligi in Prælatum dicti Ordinis durante ejus Novitiatu: potest tamen in Prælatum prioris Ordinis à quo transiit: uti etiam ad dignitates Ecclesiasticas extra Ordinem. Colliguntur hæc ex *Cap. Nullus de Elect. in 6. & ex Tridentino Sess. 14. Capit. 10. de Reformat. & Sess. 25. Cap. 21. de Regal.* apud *Peyrinum, Pellizarium, Suarez*, &c.

Non possunt Novitii de bonis suis ita elargiri Conventui in quo probantur, aut toti Ordini, ut inde impediatur eorum libertas in ordine ad recessum: possunt tamen Conventui fieri donationes ab eorum

rum parentibus & amicis: & ex bonis Novitii quæ ad illius sustentationem requiruntur. Ita præscribitur in Tridentino *Sess. 25. Cap. 16. de Regul.* apud prædictos.

Requiritur in Novitio *Renunciatio bonorum* juxta Institutum sui Ordinis: illa communiter facienda est intra bimestre proximum professioni: non requirit solennitatem juris civilis: vim habet tantum à tempore professionis: ante professionem per Testamentum legitimum revocari potest. Constant hæc ex Concilio Tridentino *Sess. 25. Cap. 16. de Regularibus*, & fufius deducuntur apud Sanchez *Lib. 7. Moral. Cap. 1. Portel, Peyrinum, Lezanam, Dianam Part. 3. Tract. 1. Resol. 55. aliofque.* De quibus nos plura inferius, de Paupertate religiofa.

ARTICULUS II.

De Professione Religiofa.

Professionis Religiofæ essentia distinctè exprimitur hac definitione, quod fit, Contractus moralis, non merè humanus sed facer, per quem homo voluntariè se tradit Deo in certa Religione legitime approbata, idque per tria vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ, interveniente etiam Prælati regularis auctoritate dictam traditionem Dei nomine acceptantis.

Ad essentiam Religionis non requiruntur tria vota solennia. Patet ex eo, quod qui in Societate Jesu committunt tria vota simplicia sunt verè Religiosi: sic enim definit *Gregorius XIII.* in Bulla, *Ascendente Domino* apud Pellizarium, Layman, aliofque.

Qui in Ordinibus Militaribus castitatem non absolutam, sed tantum conjugalem vovent propriè Religiosi non sunt. At verò milites S. Joannis, & ordinis Teutonici, cum edant tria Vota substantialia, veri Religiosi sunt. Ita quoad primam partem docet *D. Thomas 1. 2. Quæst. 186. Art. 3. ad 3.* & cum aliis Sanchez *Lib. 4. Mor. Cap. 16. Quoad secundam Navarrus Consil. 12. Peringo, &c.*

Irrita est professio Religionis, si addatur conditio strani Religioso repugnans, v. gr. ut possit aliquis retinere aliqua bona, tamquam propria: Ita *Abbas, Sylvester, Lessius, Sanchez, Lib. 5. Moral. Cap. 4. Num. 92.*

Religiosi non sunt, qui editis votis perpetuè castitatis, ac paupertatis, obedientiam etiam vovent Episcopos, aut Confessarios præstandam. Quia tali voto non subjiciuntur spirituali jurisdictioni Ordinis, imò nec Ecclesiasticæ personæ efficiuntur, sed ut ante erant, Laicæ permanent: Ita *Lessius de Just. Cap. 41. Dub. 10. Num. 10.*

Summus Pontifex etiam in solennibus votis Religionis dispensare potest, ut aliquis Religiosus esse definit. Cum enim Pontifex possit dispensare in votis simplicibus, sequitur etiam posse in solennibus, cum solennitas Votorum ab Ecclesia sit inducta. Id docent plures Theologi, & exemplis confirmant, cum Navarro *Cap. 12. Num. 75.* quamvis aliter senserit *D. Thomas, aliofque.*

Religiosus promotus ad Cardinalatum vel Episcopatum, obstrictus manet essentialibus votis suæ religionis, licet quoad aliquos effectus paupertatis & obedientiæ, exemptus censetur, idque per accidens, nam manet nihilominus sub obedientia summi Ponti-

ficis, capite omnium Religionum: Ita *D. Thomas communiter receptus in 2. 2. Quæst. 88. Art. 11.*

Religiosus factus Episcopus, vel Cardinalis, saltem ex moralis honestatis obligatione, præscripta Regule servare debet, quæ cum munere, ac dignitate sua consistere possunt, v. gr. ut habitum sui Ordinis ferat, retento saltem illius colore, quamvis quoad formam sive figuram possint se conformare Episcopis secularibus, ex indulto *Clem. VIII.* apud Sanchez, *hic Num. 12. aliofque.*

Religiosus ad secularem Parochiam promotus, habitum suæ Religionis deserere, & alia præscripta Regule, quatenus cum munere, & laboribus ejus consistere possunt, observare debet, etiam sub culpæ obligatione si Regula Ordinis ita obliget. *Layman hic Lib. 4. Tract. 5. Cap. 1.*

Religiosus dum Parochiam secularem administrat in plerisque Episcopo diœcesis subjicitur, verum in iis, quæ ad Regulam spectant v. gr. ut habitum gestet, videtur subiectus manere Abbati, vel Præposito Monasterii. Ita *Angelus Ver. Monachus, Rosella, Sylvester, Sanchez Lib. 6. Moralium Cap. 6. Num. 36.*

Professio in Religione duplex est, alia expressa, seu verbo, seu scripto: alia tacita v. gr. si quis post annum probationis, professorum habitum proprium triduo gestaverit, aut intra triduum, post annum probationis exactum, exerceat actum proprium professorum, v. gr. in capitulo suffragium ferat, aut si quis anno continuo habitum in Religione gestaverit, in qua nulla patens distinctio est inter Novitiorum ac Professorum habitum, talis anno exacto censetur tacitè professus, nisi protestetur sibi non esse animum propterea Religionem profitendi. Hanc tacitam professionem valere etiam post Tridentinum monet *Rodriguez, Miranda, Sanchez Lib. 5. Moral. Cap. 3. Num. 36.*

Merus gravis & injustus, ipso jure infirmat professionem Religiosam, ut nulla exinde obligatio oriatur, v. gr. si Novitius incarceratus fuit, propterea quod discessum petierit: Imo quandoque etiam metus reverentialis, si nimirum alia concurrant, quæ difficulter homo à se repellere possit. V. G. si minentur Consanguinei nihil amplius subsidii præbendum, si è Religione egrediatur. Ita tradit fufius cum aliis Sanchez *Lib. 4. Disp. 7. Num. 7. Coninck, & Lessius de Just. Lib. 2. Cap. 17.*

Post Quinquennium à die professionis non auditur Religiosus in externo foro, si dicat professionem suam ob metum, vel aliud impedimentum irritam fuisse: prius enim reclamare debebat. Certum est ex Tridentino *de Regular. Cap. 19.*

Licet alicujus professio ipso jure irrita fuerit, tamen subsequente expressa vel tacita ratificatione, coram Prælato, iisque quorum interest, facile convalescit. Ita cum aliis Navarrus *Lib. 3. Consil. 41. de Regularibus.*

Qui generatim vovit, se Religionem ingressurum, debet moralem diligentiam adhibere ut in aliquo Ordine suscipiatur, idque spectata intentione voventis masculi: solum intentionem habere censentur ad monasteria suæ nationis: feminae solum ad vicina monasteria, propter commoditates cognatorum. Quod si quis in ordine laxiore non recipiatur, non tenetur ad strictissimum v. gr. Capucinatorum, vel Carthusianorum, si assermet, vel ex circumstantiis (puta

(puta quia est homo delicatus) colligi possit non fuisse ipsi mentem etiam ad tales Religiones se obligandi. Quia in generali promissione non veniunt ea, quae quis verisimiliter in specie promissurus non fuisset: Nec adigendus est ut fiat Laicus in Monasterio, si asseret, vel ex circumstantiis colligi possit, intentionem Voti non se extendisse ad hunc casum, uti iam dictum. Et ita docet ipse *D. Thomas 2. 2. Quest. 88. Art. 3. Cajetanus, Arragonius, Sotus, Azor, Valentia, Rodriguez, Sanchez, &c.*

Qui certam Religionem voverit, etsi in uno Monasterio repulsam ferat, debet alia Monasteria ejusdem Ordinis adire, si spes sit susceptum iri. Secus est, si ingressum certae Religionis & Monasterii ex causa speciali voverit, videlicet cum dependentia ad certum locum, & non in sensu diviso, videlicet per se, quaecumque loco. Ita fufius post *D. Thomam cit. Quest. 88. Art. 3. ad 3. Cajetanus, Sotus, Azor, Sanchez, Suarez de Relig. Lib. 4. de Voto Cap. 8. Num. 8.*

Qui Religionem voverit, peccat contra Religionis virtutem, si se impotentem reddat ad Monasterii ingressum, contrahendo v. gr. ingentia debita, vel committendo crimen ex quo inhabilis fiat ad admissionem, *Layman hic, aliique.*

Qui voverit se professurum in Religione laxa, potest eligere strictiorem: Peccat ingrediendo Religionem laxiorem sine dispensatione, quia minus praestat quam promiserat. Valida tamen est professio, quia alterum Votum solenne, in quo personae traditio fit & Religioni jus in ipsam acquiritur derogat priori simplici Voto per quod nullum tale jus strictiori Religioni acquisitum erat. Constat ex *D. Thoma 2. 2. Quest. ult. Art. 8. ad 3. Cajetano ibidem, Navarro, Sanchez, & aliis communiter.*

Votum ingrediendi & experiendi Religionem strictiorem quisque commutare potest in Votum profectiorem laxiorem. Ratio, quia Votum perseverandi in laxiori melius est, & plus obligans, quam Votum tantum ingrediendi & experiendi strictiorem. Ita *S. Antoninus Part. 2. Tit. II. Cap. 2. §. 8. Sylvester Ver. Votum, Sanchez, aliique.*

Mendicantes non possunt transire ad alium Ordinem non mendicantium (excepto Carthusianorum) sub excommunicatione Papae reservata: Et licet cum licentia Papae, aut Ordinis transeant, tamen non habent vocem in Capitulo, nec Administrationes, nec Prioratus, aut officia consequi possunt. Habentur haec ex Extravaganti communi, *Viam ambitiosa, & ex Clementina 1. de Regularibus.*

Austeritas Ordinis attendenda non est secundum institutum Regulae, sed secundum Observationem praesentem, in tantum, ut professus in strictiore Ordine, ubi non servatur Regula, possit transire ad laxiorem, in quo servatur Regula, nisi spes sit reformationis futurae prioris Ordinis, aut si in Provincia Monasterium ejusdem Ordinis sit, in quo servatur Regula, & ad quod transferri poterit. Ita *Rodriguez, Sanchez, Lessius, Layman, aliique.*

Canonici Regulares transire possunt ad ordinem Monachorum, sed non vice versa. Quia Religio Monachorum austerior est. De quo *Navarrus in Caput Statutum 19. q. 3. de Regularibus, &c.*

Quod si quis ab uno Ordine ad alium transire velit & non recipiatur, vel receptus iterum ante Professionem egrediatur, debet redire ad suum Ordinem: Quia

non simpliciter ex Ordine dimissus est, sed sub conditione, ut alium ingrediatur, ac profiteatur. Ergo hoc non secuto, federe debet: de quo *Sanchez supra. v. n. 2. & in Compendio Privileg. Soc. Jesu Apostata §. II.*

ARTICULUS III.

De Paupertatis Religiose varia obligatione.

Religiosus absque consensu Praelati expresso aut praesumpto nullam rem pretio aestimabilem accipere, retinere, absumere, permutare, aut alteri donare potest. Haec enim obligatio in Paupertatis Religiose Voto involvitur, ut nihil possideat proprium, sive ad propriam dispositionem. De consensu Praelati praesumpto docet *Suarez & Lessius*, Religiosum excusari a mortali si praesumatur affectus Praelati rem liberam concessurum si rogaretur. Quia tunc censetur rem habere ex superioris voluntate saltem virtuali. Atque licet si Superior sit invitus tantum quoad modum, veniat quidem peccari, sed non contra Votum Paupertatis tradit *Suarez, Sanchez, & Layman Lib. 5. Tract. 7. Cap. 7.*

In Societate Jesu Scholastici & Coadjutores temporales, qui post biennium probationis, Voti simplicitate emiserunt, possunt retinere & acquirere Dominium radicale bonorum tam mobilium, quam immobilium, ut est hereditas &c. Sunt tamen privati jure actuali de illis disponendi pro suo arbitratu.

Si autem de facto inter vivos, aut mortis causa bonis suis disponant absque Superioris consensu, valida videtur illa dispositio, quamvis sic disponentes peccent contra Votum Paupertatis. Ratio horum est, quia illi retinent Dominium bonorum suorum, donec se abdicent per professionem solennem, quamvis restringantur quoad usum, juxta Institutum Societatis pluribus Pontificibus confirmatum ut a Gregorio XIII. Ascendente Domino. Ita *Sanchez Lib. 7. Mor. Cap. aliique.*

Peccant etiam generatim Religiosi qui rem aliquam pretio aestimabilem sine Superioris sui consensu expresso, tacito, aut praesumpto, accipiunt, retinent, occultant, absumunt, permutant, aut alteri donant. Ita cum communi *Antoninus, Sylvester, Navarro, Mendez, Azor, Valencia, Lessius, Sanchez, Lib. 7. Moral. Cap. 19.*

Sufficit tamen consensus ille tacitus, quo Praelatus sciat subditum aliquid accipere, retinere, vel expendere, & non prohibeat cum facile possit: Tunc enim plerumque approbare censetur. Ita *Sanchez ibidem: qui & addit Num. 70.* Si Praelatus Religioso donat, aut res ab alio donatas illi permittat, ut munuscula benedicta, vicunculas, rosaria, sciens subditum ad proprium usum iis omnibus non indigere spectata a caritate, hoc ipso tacite concedi facultatem ea alio sine domesticis, sive externis donandi. Et domesticos pro tunc alia venia non indigere deducit *Lugo de Just. Disp. 3. Sect. 8.*

Ufus solus rerum non absumptibilium potest esse contra Votum Paupertatis v. gr. librorum ad notabile tempus, quod tamen raro ascendere ad mortale, notat *Sanchez supra, & Cap. 20. Num. 6.*

Si Religiosus parcius vivendo aliquid reservat, non sibi acquirit, sed Monasterio manet, cum sit dominus incapax, ideoque nihil sibi proprium acquirere servanda

vando potest, aut aliis donando. De quo Sanchez *sup.* Lib. 7. Cap. 19. n. 33.

Quidquid Religiosus Contractu, donatione, vel hereditate acquirit, Monasterio acquirit: Monasterium autem non obligatur ex contractu vel delicto Religiosi, nisi quatenus consensum præbuit, vel aliquid inde commodum accepit. Ita *Navarrus Com. 2. de Regul. num. 62. Azor 1. 2. Cap. 11. Quest. 2. alique, & colligitur ex Cap. quod quibusdam de Fidejussore.*

Administratores & Oeconomi Religionis, plus dare non possunt, quam Ordinis Regula, Consuetudo, vel Superioris voluntas permittit. Constat ex *D. Thom. 2. 2. q. 32. Art. 8. alisque.* Unde si quis ab illis ultra potestatem concessam acceperit, furti particeps censetur.

Praelati Regulares contra Votum paupertatis & adversus Iustitiam peccant, si bona Conventus aliter expendant, aut donent, quam Ordinis Regula, aut consuetudo permittit. Quia Praelati non sunt bonorum communium Domini, sed solum Administratores. Ita eam communi *Navarrus hic num. 11. & 23. Abulensis, Molina, &c.*

Quanta materia ad transgressionem Voti paupertatis requiratur, ita definitur sicuti in furto, præsertim filiorum à parentibus honestis, quod latitudinem aliquando majorem admittit: de quo *Navarrus, Azor, Sanchez, alique.*

Tridentinum Concilium *Seff. 25. Cap. 2.* videtur prohibuisse, ne Religioso designentur stabiles redditus in fuit ejusdem peculii, quamvis dependentes à Praelati voluntate, licet alii DD. non sine probabilitate negent id Tridentino Concilio adversari. Ita enim docet *Navarrus Comment. de Regul. num. 18. & alibi, Sanchez, Sà, Reg. Lud. Miranda, & alii, Contra Lopez, Lessium, Azor, Rodriguez, Molinam, Tom. 2. Diss. 276.*

Praelatus Religioso licentiam dare non potest res absumendi in usus vanos, aut illicitos, sed tantum expendendi ad utilitatem Monasterii, publicam, vel privatam. Nam Praelatus subditio majorem facultatem conferre non potest quam ipse habet: cum autem is bonorum Monasterii Dominus non sit, sed tantum Administrator, ideo ea arbitrato suo, atque inutiliter expendere non potest, sed tantum in ejusdem Ecclesie seu Monasterii necessitatem, vel aliquam utilitatem. De quo fuit *Navarrus supra, num. 23. Sylvester Ver. Religio, Miranda, Tom. 1. Quest. 28. Art. 9. Valentia, Molina, Sanchez, Lib. 7. Moral. Cap. 19. num. 30.*

Etiam Abbatissæ Monialibus suis subditis licentiam dare possunt accipiendi, expendendi, retinendi, quæ justa sunt. Excipit tamen Sanchez *sup. num. 44.* Nisi consuetudine, vel constitutione Ordinis Abbatissæ potestas sit restricta.

Religiosus si rem aliquam donatam absolute accipiat in favorem alterius, non interveniente licentia Praelati, peccat contra Votum paupertatis: secus tamen, si se habeat tantum ut intercessor, elemosynarius, intermunicus. Ratio prioris est, quia in hoc casu Religiosus jus aliquod pretio aestimabile sibi usurpat si accipiat pecuniam suo arbitrato distribuendam, ita ut à dante revocari non possit. In posteriori autem revocari potest, & de re nulla nomine suo disponit. Ita *Turrianus, & plures apud Sanchez supra Cap. 30. num. 3.*

Si Monacho hereditas aut legatum relinquatur ea lege, ut ad ipsum & non ad Monasterium pertinere debeat, explicari debet, voluisse testatorem, ut ad *M. R. P. Arjdek. Tom. II.*

nachum pertineat cum consensu Praelati: Quare si Praelatus consensum neget, corruit legatum, vel institutio. Ratio, quia dispositionem qualemcumque ita interpretari oportet, potius ut valeat quam ut pereat, & perplexitas verborum secundum præsumptam voluntatem testatoris ordinanda est. Adde quod verba testatoris debent intelligi secundum conditionem personæ, cui aliquid datur: atqui Monachus hereditatis aliter capax non est nisi quoad usum dependentem à voluntate Praelati. Monachus tamen legatum sibi relictum potest Monasterio resignare: Quia conditio illa à testatore apposta erat in gratiam Monachi, quivis autem favori suo renunciare potest. Ita *Angelus Ver. Monasterium num. 1. Sylvester Ver. Religio Quest. 5. Rodriguez, Molina, Bartolus, Sanchez Sup. Cap. 17. num. 4.*

Si testator expresserit, non aliter se relinquere Monacho, nisi ut habeat rem independentem à Praelati consensu, irritum est legatum: sed in dubio non est præsumendum id adjectum fuisse, ut conditionem propriè dictam, sed ut modum, qui si impossibilis sit pro non adjecto habetur. Ita *Bartolus, Sylvester, Molina, Rodriguez supra, contra paucos.*

ARTICULUS IV.

De voto Religiosæ Castitatis.

Castitas Religiosa rectè definitur, Virtus qua Religiosus per Votum promittit abstinere ab omni delectatione venerea tam illicita quam licita per concubium: sive sit Votum solenne, sive simplex, quale emittunt Religiosi Societatis post biennium probationis, & dirimit matrimonium subsequens ex Gregorio XIII. Const. *Ascendente Domino.*

Hinc pro brevi resolutione casuum plurimorum: Omnis actus venereus qui in seculari est peccatum unicum contra castitatem, idem actus in Religioso est peccatum duplex, scilicet intemperantiæ contra Castitatem, & sacrilegii contra Votum quo se ad servandam Castitatem adstrinxit.

Non dari in Religiosis, nec in aliis, in delectationibus venereis omnino deliberatis parvitatem materiæ quæ excuset à mortali communior est sententia, apud *D. Thomam 2. 2. Quest. 154. Art. 4. S. Antoninum Part. 2. Tit. 5. Cap. 1. num. 9. Sylvestrum. V. delectatio, Lessium, Lib. 4. Cap. 3. num. 59. Azorium Part. 3. Lib. 3. Cap. 25. Rebellum, Baldellum, Sanchez, qui retrahit sententiam suam oppositam ex Armilla, Soto, Navarro &c. cum eam docere nobis interdictum sit à P. Generali Claudio Aquaviva die 24. Aprilis 1612. Decreto quod incipit: *Quia nonnullorum opinio &c.**

Votum Castitatis Religiosæ irritat sponsalia de futuro. Ita *Suarez, alique ab ipso relati de Relig. Tom. 3. Lib. 9. Cap. 7. Num. 8.* Imò dissolvit sponsalia de præfenti, aut matrimonium ratum & non consummatum, uti probatur ibidem: ergo à fortiori dirimit sponsalia de futuro.

Non tamen dirimit Votum illud matrimonium ratum & jam consummatum. Est certum, & constat ex illo *Matth. 19. Quos Deus conjunxit, homo non separet.*

Dicès, inde non sequitur quod per Vota solennia non possint separari ex constitutione Ecclesie, quæ non hominem sed Deum repræsentat.

Resp. Ecclesie non competere potestatem divinam in illis in quibus ipsam jus divinum repugnat, uti

uti hic repugnare docet S. Gregorius Lib. 9. Epist. 39. & ipsa praxis Ecclesie in oppositum.

Vorum Religioſe Caſtitatis inhabitat ad matrimonium ſubſequentis: etiam quoad Scholares approbatos Societatis. Vota tamen ſimplicia, etiam formati, in eadem non diſſolvunt matrimonium ratum præcedens, uti cum aliis ſuſius oſtendit *Pellizarius Tract. 4. Cap. 3. Sect. 2. & Suarez de Rel. hic num. 13.* addens etiam, uſu ſemper ſervatum, ut nemo ligatus vinculo matrimonii rati in Societatem recipiatur.

Qui eſt Religioſus & ſimul Sacerdos violans Caſtitem, Sacrilegium non niſi unicum committit, ideoque ſufficit illum confiteri, ſe eſſe ligatum Voto Caſtitaris. Si tamen Religioſus cum Religioſa peccaret duplex Sacrilegium, & in confeſſione exprimendum admitteret.

Ut Violatio Caſtitaris Religioſe cadat ſub Reſervationem à Superiore factam, requiritur ut ea ſit mortalis non tantum per relationem ad intentionem, & primum affectum delinquentis, ſed etiam ex ipſa gravitate operis externi, quod per ſe confeatur mortale in genere luxurie: ita *Pellizarius, Diana, & alii communiter.* Debet etiam eſſe lapſus carnis plenè voluntarius, & opere conſummatus: Per hoc opus conſummatum non tantum intelligitur fornicatio, aut quæcumque alia copula illicita, ſed etiam quæcumque pollutio perfectè voluntate procurata, etſi non perveniatur ad actum ulteriorem ſive copulam quam fortaſſe peccans intendebat: Ita *Suarez de Relig. Tom. 4. Tract. 8. Lib. 2. Cap. 18. Lezana, Diana alios citans Part. 3. Tract. 2. Reſol. 118.*

Hinc delectationes moroſe, imò tactus, aſpectus aut complexus venerè & deliberati, etſi ſint peccata mortalia non ſunt tamen caſus reſervati. Quia illa propriè & rigidè non veniunt ſub nomine lapſus carnis opere conſummati, ſi non accedat pollutio, & aliquo modo intenta. Imò hic bene notandum, quod tradit *Sanchez de Matrim. Lib. 9. Diſp. 45. n. 29.* Si dantem culpabilem cauſam pollutioni penituerit legitime cauſe date antequam ſubſequetur, vacare in ſe culpa pollutionem poſtea ſubſequentem. Unde ſequitur etiam à reſervatione vacare.

Quando Confeſſarius dubitat, an caſus particularis in hoc genere ſit reſervatus penitentem ab eo ritè abſolvit, modò non ſit confeſſarius ſupinè negligens, & ignarus. Ita cum communi docet hic *Suarez, Filhiucius, Bonacina, Lugo de Penit. Diſp. 29. Sect. 2.*

Plura de peccatis tam in aliis, quam in hoc genere reſervatis, vide in hoc Opere infra de Abſolutione Tract. II. Cap. III.

De ipſis verò peccatis contra Caſtitem in particulari, & quando ſint mortalia, aut venialia, vide ibidem *Part. III. Tract. V. Cap. VI. de Luxuria.*

Quæſtio ſingularis eſt, An cum Religioſo diſpenſare poſſit Pontifex, ad contrahendum matrimonium eo modo, ut habitæ prole, teneatur relicta uxore iterum ad Religionem redire. Reſpondet cum Tabiena, & Abbate, *Sanchez de Matrim. Lib. 8. Diſp. 8. Num. 9.* Id poſſe fieri tantum in caſu quo uxor in hoc conſentiret, vel per fornicationem præberet juſtam cauſam divortii perpetui. Quia abſque his conditionibus de eſſentia matrimonii eſt ut ſit perpetuum. Ubi rectè notat *Sanchez*, cauſam talis diſpenſationis debere concernere publicam utilitatem, qualis eſſet præclare alicujus Familiæ conſervatio per novæ ſobolis generationem.

ARTICULUS V.

De Obedientia Religioſa obligationibus.

EX vi voti Obedientiæ, Religioſus obligatur ad omnia, quæ Prælatus præcipit conformia Ordinis Regulis & conſtitutionibus, ſive res præcipiatur expreſſè, ſive implicite. Quod ſi Prælatus in imperando addat: In virtute ſancæ Obedientiæ, vel formæ æquivalenti, obligatur ſubditus ad obediendum ſub mortali: Si verò aliâ aut nulla ſimili forma utatur, confeatur tantum obligare ſub veniali, quod ſolum in Societate uſum habere notant ex ea Antiquitate varii. De his in communi *S. Thomas 2. 2. Quæſt. 186. Leſſius, Layman, Pellizarius, Sanchez Lib. 6. Moral. Cap. 1.* Imò raro Superiores ex parte ſua ſub culpe obligatione præcipere aliquid confeſſi ſunt, niſi utantur verbis, in virtute &c. aut ſimilibus. Quod de conſuetudine in Societate teſtatur porro *Alphonsus Rodriguez exercitii perfectionis Part. 3. Tract. 6. Cap. 3. Sanchez Lib. 4. Moral. Cap. 4. Valquez 1. 2. Tom. 1. Diſp. 158. Cap. 3. Num. 24.*

Si Prælatus præcipiat Religioſo v. g. Episcopatum, aut Inſtituta aſteteriora quam Regula Ordinis requirit, non tenetur illi in hoc obedire. Ratio, quia Prælatus nihil præcipere poteſt niſi quod directè vel indirectè pertinet ad Regulam. De quo *S. Thomas 2. 2. Quæſt. 104. Art. 5. in corpore, & Diſt. 44. P. 2. A. 3.* qui illam triplicem obedientiam diſtinguit: *Indiſcretam*, ſi quis obediatur contra legem Dei, vel Regulam Ordinis: *Imperfectam*, ſi quis obediatur tantum in his ad quorum obſervationem ſe Voto obedientiæ expreſſè, vel implicite obſtrinxit. *Perfectam*, ſi quis obediatur in omnibus, quæ non ſunt contraria legi Dei, aut Regulæ, quam profeſſus eſt. Debere ſemper obedire ubi reſiſtum non cernitur peccatum, ad perfectionem Obedientiæ, non ad Votum pertinere tradit *Lugo ex D. Bonaventura, & D. Thomas 2. 2. Quæſt. 104. Art. 1. in corpore.*

Probabile eſt, quod Prælatus Ordinis, propter Votum Obediendi in omnibus, quæ juſta ſunt, etiam actus internos præcipere poſſit, licet conſuetum non ſit, nec conſultum, ut talia ſub peccato præcipiantur. Ratio conſequentis, quia Prælatus poſſunt irritare Votum interna ſuorum: Ergo habent gubernativam poteſtatem in actus internos. Deinde Religioſi poſſunt votum internos Actus, & ſub obligatione promittere: Ergo ſunt capaces ut imperentur. Ita *Suarez Lib. 4. de legibus Cap. 12. alique contra plures.*

Quæ ex genere ſuo *indifferenter* ſunt, à Prælato bono ſive v. g. ad mortificandum propriam voluntatem præcipi poſſunt. Ita *Cajetanus in D. Thom. in 9. ſentent. 2. ad 4. Contra Mirandam T. 1. manualis 9. 26. art. 9.*

Si Ordinis Regula ſub culpa non obligat, ejus transgreſſor non peccat contra Votum obedientiæ. Quia Votum obedientiæ intelligitur de iis tantum quæ continent propriè præceptum. Nihilominus poteſt ſuperior propter transgreſſionem penam imperare, cum obligatione eam ſuſcipiendi ex obedientiæ Voto, quamvis non ſemper ita obligare ſoleat. Ita cum communi *S. Thom. 2. 2. Quæſt. 186. Art. 9. ad 1. Sanchez, Valentia Tom. 3. Diſp. 10. Quæſt. 4. Pun. 5.*

Religioſus in Ordine Prædicatorum aut Societatis Jeſu transgrediens meram Regulam bono aliquo fine, non

non peccat : v. g. si extra tempus loquatur cum socio ut mastrum consoletur : quia Regula per se non obligat sub peccato. Paratus tamen esse debet, quia Regula transgreditur, poenam subire, quippe etiam ob defectum non culpabilem coram Deo inferri potest ob regularem disciplinam conservandam. Ita D. Thomas Sup. art. 9. Valentia, Sanchez, Vasquez. 1. 2. Diss. 158. Cap. 3. n. 16.

Sin verò Regulam violet ob torporem, aut libidinem, peccat saltem venialiter. Imò si quis frequenter transgrediat, & hoc modo Religiosam disciplinam graviter perturbet, mortaliter peccat : Uti tradit & explicat Sanchez lib. 4. Moral. Cap. 4. n. 18.

Regulares professi non tenentur acceptare Novam Regulam, seu arctiorem vivendi modum, quem nec explicitè nec implicite professi fuerunt. Ratio, quia Religiosi per Votum obedientiae non transulerunt omnem voluntatem in superiorem, ut quilibet ipsi imperare possit : sed ea solum quae ad observationem Regulæ quam profitentur directè vel indirectè spectant. Nec ex communiore, summus Pontifex potest cogere Religiosum ad arctiorem vivendi rationem, quam prima Instituti forma postulat. Quia speciale obedientiae debitum, quo Religiosi erga summum Pontificem adstringuntur ex Voto eorum provenit, quod erat secundum proprium Regulæ institutum. Sed ut Episcopatum accipiant, possunt cogi, cum ut alii Clerici, summo Ecclesiae Pastori subiecti sint. Ita communius Sylvester, Sanchez, Lessius Lib. 2. Cap. 41. num. 76. Azor Tom. 1. Instit. Moral. Lib. 13. Cap. 11. Quest. 19.

Si tamen strictior observatio necessarium medium videretur ad substantialium Votorum in tali Ordine observationem Regularibus auctoritate Prælatorum imponi potest, licet eam expressè non voverint. Quia talis observatio indirectè pertinet ad Regulam quando sine illa Regula in suo vigore conservari non potest, consequenter cum Religiosus Regulam profertur, implicite etiam se obligat ad ea omnia sine quibus status Religionis suæ conservari nequit. Ita supra citatus Sylvester, Sanchez, Lessius, alique.

Si appareat Regulæ ac disciplinae temporis diuturnitate collapsæ Reformationem necessarium medium fore ad Ordinis conservationem, Prælati, cum Capitulo, multòque magis Summus Pontifex ad acceptandam reformationem omnes professos compellere potest. Ita Vasquez supra Cap. 4. Num. 25. Azor Tom. 1. Lib. 13. Cap. 11. Quest. 19. Sanchez supra Cap. 2. num. 35. cum aliis ab ipso citatis.

In Societate Jesu ultra tria Vota substantialia Religionis, sunt & alia Vota sex quæ à Professis emittuntur, apud Suar. aliosque.

Primum est, Votum solenne obedientiae Pontifici circa Missiones quaslibet, etiam sine viatico amplectendas, intellige, si hoc sit necesse. Non excludit tamen hoc Votum excusationem iustam personæ designatæ, modo parata sit eà non obstante parère, si præcepto formali mandetur.

II. Votum simplex non permittendi, quantum in se est, relaxationem paupertatis sui Instituti, scilicet, suffragando ad illius mutationem : Non violatur autem per actiones particulares Superiorum aut aliorum aliqua ultra limites paupertatis indulgendo, aut usurpando.

III. Votum non procurandi dignitates intra Societatem. R. P. Arsdék. Tom. II.

tatem, quod etiam est simplex. Violatur hoc votum per quamlibet actionem externam in ambitum talem influentem : idque etiam si ambitus ille per alium exerceatur : intellige utrobique, si actio externa sit sufficienter manifestativa ambitionis. Violatio talis reddit cujusvis Prælationis in Societate incapacem. Non violatur procurando sibi non auferri dignitatem jam acquisitam, apud citatos.

IV. Votum non acceptandi dignitates extra Societatem, quod etiam est simplex, & intelligendum de actione externa, ut supra. Vetat omnem talem ambitum directum, imò & indirectum juxta Sanchez Lib. 6. Moral. Cap. 17. Contra Pellizarium in manuali Tract. IV. Cap. 5. Sect. 5. Additur in formula : *Nisi coactum obedientia ejus qui mihi præcipere potest sub poena peccati.* Per hoc solus Pontifex passim intelligitur, non Generalis, non Congr. Cardinalium etiam Sede vacante : sub hoc Voto non contineri ipsum Papatum docet hic Suarez Cap. 9. Num. 14.

V. Votum, etiam simplex, denunciandi ambientes. Intellige, quando ambitio est mortalis contra Votum prædictum ; & quando est moralis certitudo delicti, etiam si non possit à denunciante probari. Non obligat hæc denunciatio si ambitus sit tantum volutus, sed non inceptus : vel si sciatur tantummodò alios velle pro aliquo id ignorante ambire : vel si constet denunciationem faciendam fore frustraneam. Denique vi hujus voti denunciandi sunt tantum Professus ambientes, uti contra Sanchez docet Suarez, Castropalaus, Pellizarius hos citans in manuali Tract. 4. Cap. 5. Sect. 5. n. 305.

VI. Votum simplex, audiendi consilium Generalis &c. si in Episcopum professus eligatur. Non obligat hoc Votum ad consilium positivè petendum, sed audiendum : nec ad sequendum, in calu quo meliora consilia aliunde suggeruntur.

VII. Est votum simplex omnibus commune, scilicet, ingrediendi Societatem, quod fit post tyrociniū, & diversum est à tribus Votis substantialibus Religionis : per hoc enim vovens obligatur ad acceptandum in Societate gradum sibi postea à Generali offerendum sive professi, sive formati. Votum hoc non violaret qui jam promotus ad gradum studeret ascendere ad Superiorem, uti censet Pellizarius supra Sect. 7.

De aliis Constitutionibus ad Regulares particulariter pertinentibus.

Commodissimum est summariè cognoscere alia Constituta minùs communia ad Religiones varias in particulari pertinentia, & apud quos Auctores illa resolvantur. De his habent singuli ferè Ordines Regularium Scriptores sui Ordinis proprios, qui in suum Institutum, Leges, normamque vivendi Tomos ac Tractatus integros diffusè conscripserunt, quos infra adducemus, quales sunt Tractatus hæc sequentes.

Primo, De obligationibus variorum quoad particularium Regularum sui Ordinis observantiam : quoad Sacramentorum frequentationem : quoad Jejunii, Clausuræ, Chori, & Missarum obligationem.

Secundo, De prohibitionibus Regularium, quoad abolitionem reservatorum : stipendia Missæ : libros imprimendos : claustra monialium : Appellationem à Prælati sui correctione : alienationem bonorum sui Ordinis : Abstinentiam à Negotiatione, & ab actibus Forensibus, sive judicialibus, & aliis jure communi prohibitis.

de
cin

leo
gia

Tertio, De Pœnis latis contra Regulares jure communi. Item, quoad Censuras, Excommunicationes, Suspensiones, Reservationes, Interdicta, & pœnas Privativas respectu Regularium in particulari.

Quarto, De Regularium Privilegiis, quoad usum singulorum Sacramentorum: quoad Immunitatem suarum Ecclesiarum & Conventuum: quoad Sepulturas, Indulgentias, Confraternitates, Privilegium Canonis, Exemptionem ab Ordinariorum jurisdictione, & à Foro seculari, Decimis & Gabellis.

Horum singula, ultra ea quæ hic de illis tradidimus, diffusè tractantur apud Auctores ab initio hic citatos, ut est, *Suarez* de Religione, *Pellizarius* in Manuali Regularium, *Castropalaus* in suo Opere morali de virtute Religionis *Part. 3. Peyrinus, Bordonus, Portel, Diana*, & alii qui ab illis in quaestionibus particularibus adducuntur.

FULLARIA quoque extant particularia Decretorum Pontificiorum, aliorumque, in quibus continentur singula, quæ circa Ordines in particulari hæcenus constituta fuerunt. Præter alios Joannes Baptista Confettius Florentinus Sacræ Theologiæ ac Juris Canonici Doctor, edidit unò volumine in quarto, *Collectionem Privilegiorum*, &c. Sacrorum Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium juxta sacri Concilii Tridentini reformationem, & summorum Pontificum novissimas confirmationes, & innovationes.

In hac Decretorum Collectione in particulari continetur Tractatus de Mari Magno Privilegiorum, & Bulla Aurea, Sixti IV. aliisque Constitutionibus ac Litteris Apostolicis, earumque validitate pag. 280. De Privilegiorum derogatione: de Privilegiorum Con-

servatoribus: de Regularium exemptione: de illorum Foro competenti: de Appellatione à sententiis Prælatorum Regularium: de Bonis locorum Regularium alienandis: de Prælatorum electione, & potestate: de Præscriptione Regularium activa, & passiva: de tempore, & qualitate Ordinandorum: de verbi Dei prædicatione: & deputatione ac prædicatione ad Confessiones audiendas: de Ecclesiis, Domibus, ac locis per Regulares recipiendis: de divinis officiis ac Missis: de Sepulturis: ac Præcedenti processionebus ac funeralibus publicis &c. De quo de Monialibus Regularium regimini subjectis, tamquam clausura, ac cæteris Institutis: nec non de Confraternitatibus utriusque sexus: Item, de Tertianis, iam sexus utriusque, qui ab initio Ordini SS. Francisci, & Dominici nunc diversis aliis annectuntur: quarum alia ex Constitutione Pii V. ad tria Vota Regularia & clausuram obligantur: alia in parentum arbitrium, propriisve domibus degunt, & virginitatisve cœlibatum per Vota tantum simplicia Deo offerunt. De prædictis, inquam, singulis variorum ibi Pontificum Diplomata in proprio tenore expressè exhibentur.

RESOLUTIONES SINGVLARES.

AD Hæresim, & partes Hæreticorum, & Infidelium ubique pertinentes, nec non variorum Missionum Navalium, Castrensiũ &c. Traduntur scorsim nisi per integrum Tractatum Sextum.

TRACTATUS SECUNDUS DE SACRAMENTIS IN GENERE ET ABSOLUTIONE SACRAMENTALI PRO SACRAMENTO PÆNITENTIÆ.

SUMMOLA: *Materia & Forma Sacramentorum. Intentio Ministri & suscipientis. Effectus Sacramentorum, & modus illes causandi. Character Sacramentalis, &c. De Patrum, & recentiorum auctoritate. De ABSOLUTIONE Sacramentali. De Jurisdictione in quovis genere. Approbatione Confessorum. De servatis Pontifici, Episcopo, Superioribus Regularium, Privilegiatis: & de Missionariis in his, aliisque postquam peculiari. Sequitur Tractatus de Confessione: & postea de singulis Sacramentis in specie.*

CAPUT UNICVM. DE SACRAMENTIS IN COMMUNI.

Sacramentum in communi, est signum sensibile gratiæ justificantis, à Deo institutum, ut sanctitatem causet. Numerum Sacramentorum esse septenariũ &c. probavimus supra in Controversi. Part. I. Tract. II. cap. 6. II. An & quæ fuerint Sacramenta in statu naturæ integræ, legis naturæ &c. Traditur supra Tom. II. Part. I. p. 58. Ad essentialiam Sacramenti pertinet materia, & forma,

& debita utriusque coexistentia. Essentialis etiam est institutio Christi, & intentio Ministri, & in adultis plerumque intentio quædam, & dispositio suscipientis. Quæ omnia cum aliis huc pertinentibus per præcæ assertiones elucidanda erunt.

§. I.

Quæ, & qualis esse debeat materia & forma Sacramentorum.

Dico primò, Sacramenta novæ Legis (quæ in usu consistunt) constant rebus ut materia, & verbum